

dalibus, & exteris etiam (quos inter Regium habuit discipulum, Calzoneci, Regis scilicet filium) & Magister ipse idiomatici gentis Tarasco operam dabat perdilcendo, adeo quidem strenuam, ut deinceps ipse uteretur in concionibus & Sacramentorum administratione, quibus se pijs exercitationibus feriat ab studio diebus impendebat. Per hæc ipsa tempora tantum erat Alphonsi nomen, ut agentem & legentem Tiripiti Regia Caroli V schedula inveniit, ipsum Ecclesie Leonis de Nicaragua Episcopum destinantis, quam ut secretò legit, audientibus, qui aderant Religiosis, inquit: *Ab ore Leonis libera me Domine, & ingressus collarum scripsit, Imperatori grates rependens, se tamen infulis delatis cæteris que, quæ se indignum credebatur, subducens. Non potuit tamen quin id honoris tunc etiam obiret, quod Michoacanensis primus Episcopus D. D. Vasco de Quiroga in ipsum detulit. Convocaverat Summus Pontifex Paulus III Catholicos toto terrarum Orbe stantes Episcopos, uti ad Generale Concilium, quod Tridenti agebatur, concurrerent; atque ut eo se conferret Michoacanensis, Diocesim suam Nostro gubernandam dimissit, quam novem ipse mentes prudenter rexit, perrexissetque ulterius, ni Illm. Vasco coactus fuisset regredi e Portu Veræ-Crucis, quod aqua in Navem per rimas influens naufraga-*

giu facile auguraretur, nec tutior suppeteret navis. Alphonsus quamvis definitum pro Philosophia & Theologia auditoribus instillanda tempus eo loci absolverit, alibi quoque eandem rursus spartam ornavit, ministerio juxta sacrorum incumbens Tacambari, unde in Atotonilcum Scholam transferri author fuit Prælati, ut quietius studijs vacarent discipuli eo tempore scilicet, quo Ministrorum pro sacris excreverat numerus, pro quibus non ita opus erat tyronibus.

148 Nec penes suos tantum docendi professus est munus, quo solennius multo defungi cepit anno 1553. cum Regia & Pontificia Universitas Mexicana condita fuit. Quod enim in doctrinâ & virtute publicâque existimatione nulli esset secundus, primos inter illius conditores adlectus est, cooptatusq; Doctoribus in Theologia, atque in Philosophia Magistris ab Academicò Cancellario viro Clarissimo Alvaro de Tremiño, coram Illm. D. D. Ludovico de Velasco, Novæ Hispaniæ Pro-Rege, Joanne de Negrete, Scholarum Rectore, & Gravissimis alijs Minervæ cultoribus, ac primus pro Sacris exponendis Biblijs Interpretes est datus, dein Primarius Theologiae Antecessor, quibus regendis Cathedris undecim annos invigilavit, donec Hispaniam reperere, & toridem in ea ponere opus ei fuit. Quo autem in pretio habitus ab Academia

mia fuerit, paucis docet D. Franciscus de Cervantes Salazarus, ejus æqualis, & primus Rhetoricæ Professor, in eo quem de Academia conscripsit Dialogo, fol. 251. col. 2. hunc in modum Guerrerium & Messam suos inducens colloquentes. *G V. Quem tot Augustiniani Monachi, unâ cum alijs Presbyteris audituri Theologicum gymnasium ingrediuntur? M E. Fratrem Alphonsum à Vera-Cruce, Artium & Theologia, si quem habet Provincia nostra, Magistrum doctissimum, Primum sacratissime ac divinæ Scientiæ Interpretem, variæ & multijugæ eruditionis hominem, in quo virtus eximia cum singulari & admiranda doctrinâ contendit. G V. Felicissimum virum mihi narras, & tantâ, præter cætera, sicuti audio, modestiâ, ut omnes admiretur, contemnat neminem, modicè semper desensentiens. Ita ille.*

149 Noster verò eximios statim edere fructus cepit, & cum Academiam, tum etiam Provinciam suam datis in publicum libris doctissimis illustrare, integro videlicet *Philosophiæ cursu* justo volumine in folio, & *Speculo conjugiorum* in quarto excussis, atque ut se & Provinciæ & Academiæ & utriusque Protectori faventissimo gratum exhiberet, *Summulis* quidem nuncupatis Augustiniani Religiosis Provinciæ suæ, *Dialecticam* Universitati dicatam voluit, & *Speculum conjugiorum* Pro-Regi. Sic porro Academiam alloqui incipit: *Cum se-*

*pe mecum præmeditaret, Rector magnifice, Doctores clarissimi, Magistri que gravissimi, cui Resolutionem dialecticam, quam in utilitatem eorum quibus brevi ad veram sapientiam, & scientiarum Reginam Theologiam pervenire in animo est, dicarem; spontè sese obrulit vestrum hoc auspiciatissimum Collegium & Schola, ex vobis veluti ex vivis quadratisque lapidibus nuper erecta. Cumque in eodem albo simus adscripti, in idemque dignissimum Sodalitium admissi: quam promptus sim in vestrum quoque obsequium, & communis ac floridæ Academiæ emolumentum, ne ingratitude nota inuratur, opere restari & ostendere consentaneum duxi atque decorum, &c. Ad Pro-Regem verò Illustrissimum D. Ludovicum à Velasco ita in Nuncupationis calcæ scribit: Caroli Imperatoris & Hispaniarum Regis locum tenens, hanc Mexicanam Academiam instituisi, & prima jecisti Tu fundamenta, ut non solum primitiæ tibi merito, sed fructus laborum debeantur. Recipe ergo ex clientulo, Patrone Illustrissime, ex hac Academia primitiæ Speculum conjugiorum; &c.*

150 Sanè plurima licet, quæ insinuavimus, & oppido gravia virum negotia sollicitarent, unum videbatur diu noctuque agere litterarum: vix quatuor somno horas dabat, peræpeque suis repetebat: *Habete rationem temporis*, quo ipse usus strenuè, & in virtute eximios, & pene incredibiles in litteris fecit progressus. Insignem in Collegio S. Pauli Mexicæ, cu-

ius fuisse conditorem dicemus, Bibliothecam construxit, quam sexaginta grandioribus caplis librorum locupletem illicò fecit, è quibus, ut sunt oculati testes M. M. Grijalva & Bafalenque, ne unus est quidem, quem scriptis ad marginem notis non signaverit à prima ad novissimam usque paginam. Idem de omnibus voluminibus, quæ stant in Bibliothecâ, non exiguâ quidem, quam ipse in Conventu suo apud Tiritium opportunè constituit, ijdè Scriptores testantur. Quod similiter cernere esse in altera, quæ Tacambari est, haud spernenda Libraria, memorat Bafaléque, qui illius regionis, quam incoluit, res perspectas habebat, quarumque multæ Grijalvam distantem lauerunt. Uterque tamen in eo consentiunt, quod major librorum numerus Bibliothecæ Cœnobij Maximi Mexicani, quæ Paulianæ ea tempestate non concedebat, eadem referat signa Nostri efformata manu. Certè, quoties novi ex Europa Mexicum libri deferebantur, quos nunquam legerat, avidissimè quæsitos à capite percurrere ad calcem, & si quid censura dignum offendisset in eis, denuntiabat, ut expungeretur, cœtera Sodalibus in privatis colloquijs, in triclinio, in cathedra, ubi opportunitas adesset communicabat. Atque hæc etiam via eorum confulebat eruditioni, quoties aut in nova, aut in antiqua Hispania, vel alibi dubium

aliquod gravè emergebat, solitus eo super scribere, & pro utrâque parte rationes expendere, conclusionemque adicere, & cum Socijs communicare.

151 Quæ porò eo mirabiliora sunt omnia, quòd plurimis ipse & magni moliminis rebus continuò studuerit. Nam & Provinciam suam Mexicanensem primum biennio, deinde semel & iterum iterumque, diversis temporibus rexit & triennijs; ac postmodum undecim apud Hispanos insumpsit annos, à Philippo II Catholico Rege vocatus, quòd Indis adductus, ipsos à solvendis Episcopalibus decimis eximere contenderit, quos suæ satis obligationi facere propugnabat, alimentis quæ proprijs singuli dabant Parochis. Hac ipse occasione vocatus à Rege, & ut de alijs coram negotijs ageret, totos, quos diximus, annos in Hispania demoratus, magnam apud Philippum & Proceres, Conciliarios Regios, & sapientes quosque comparavit sui opinionem. Quòd enim spectabat ad Indos in re decimarum, Regia schedula cautum fuit de quibus, paucis equidem, oportere eas solvere, in alijs miseros judicare hæc solutos obligatione. Majus certe facefcebat negotium, quòd concluso nuper Generali Concilio Tridentino, Regulares viri, qui apud Americanos Parochorum obibant munera, ne in ipsis pergerent, prohibebantur; atque ut is opportune Alphonsus

suc-

succurreret, apud Regem ejusque Consistorium egit, ut à Sede Apostolica Privilegium instantissimè postularet, quòd demum, quinquennio in hisce componendis insumpto, obtinuit à S. Pio V, cujus Constitutionem Regiumque unà Decretum typis edi curavit. Cùm insuper in eo ipso OEcumenico Concilio novum circa Matrimonia clandestina constitutum jus fuisset, ut huic à se scripta in egregio suo *Speculo conjugiorum* aptaret, doctissimam ei Appendicem adjecit, excussumque decennio ante librum, his ditiorum accessionibus recusat Mantuæ Carpentanorum anno Domini 1572. *Cursum*, iidem *Philosophicum*, quem Mexicanis typis ediderat anno 1554. Hispanis rursus publici fecit juris Salmanticæ 1573. quo etiam anno repetijt Americam. Ad hæc S. Thomæ de Villanova, Archiepiscopi Valentini, atque sui Ordinis ornamenti clarissimi, Sermones edidit, egregio rei Christianæ & Litterariæ bono. Tanti idcirco habitus fuit ab omnibus, ut Augustiniani Matritenses cooptatum sibi Priorem elegerint Regalis S. Philippi Monasterij, & Generalis Familiæ Magistri jussione Visitatoris Provinciæ Castellæ Novæ partes expleverit, fueritque destinatus Vicarius ejus ac Visitator Provinciarum cum Septentrionalis, tum etiam Meridionalis Americæ & Insularum Philippinarum; quòd infigne ille mugus non re-

cusavit quidem, sed nec eo quo ad vixit est usus, existimans opportunius, nuper institutas & etiamnum ferventes Provincias finire quietas, præsertim re arbitrio permisâ suo, quòd prudentissimum esse consuevit. Nec minori æstimatus ab exteris multis, augeri honoribus potuit facillimè, quæ se omnibus ultrò subduxit: Nam Regij Indiarum Consilij Præses eo tempore Ovandus, Episcopatum illi Michoacanensem detulit, insuper & Angelopolitanum, quos æquæ constanter tenuit ac Nicaraguensem pridem rejecerat. Ad hæc Præses ipse Alphonsus meditabatur institueret regijs stipendijs Matriri Indiarum Commissarium generalem, pro ut Franciscanorum Ordo pro Americanis suis constituerat: cui tamen cogitationi restitit Noster, quam pro Familia quidem sua expedire neutiquam judicaverat. Expeditis itaque quæ hæctenus in Curia detinuerant ipsum negotijs, in Indias profectus, anno demum 1573. ad Portum Vera-Crucis accessit, cunctisque dein latantibus Mexici fuit exceptus unà cum 17 professionis suæ Socijs Mexicanensibus aggregandis.

152 Anno deinceps 1575. quartum fuit Provinciæ præfectus regendæ, quæ & eximiam sibi pollicebatur felicitatem co-  
duce, quam diu expertam habebat, & verò etiam rursus agnovit. Hercle, ejusdem natus bono juxta ac Michoacanensis, quæ è Mé-

xicana jam quidem amplissima, & ipsa clarissima evasit; sic illas constituit, ut vix insignis quidquam, post biennium exordij, aut magnū habuerint, quod non ipso gestum fuerit Authore. Multas ipsis & Mexici & Michoacani Parochias adjunxit, Conventus addidit, Aedes expolivit, & cum religiosissimæ observantiæ vitæ multæ huic colendæ necessaria bona conjunxit. Hæc inter caput effert Regale Mexicæ S. Pauli Collegium, quod egregiâ Provinciæ suæ & litterariæ Reipublicæ utilitate, offendiculis bene multis superatis, erexit anno 1575. Tradita ei fuit Regis mandato, quam aetate curaverant Clerici, Indorum, titulo Sancti Pauli, Parçia, quam Augustiniani deinceps Alumni regerent, uterenturque emolumentis pro alendis ijs qui litteris essent operam navaturi. Magnum erat Alphonso adversus litterarum cultores amor, tanta in fovendis promovendisque Facultatibus diligentia.

dierunt inde prodeuntque quotidie cultissimi viri, qui Provinciam illustrissimam reddiderunt, Magisterijs ornati, Academicis que infulis redimiti, quorum ut syllabum prætereamus nimis prolixum, eorum duntaxat numerum iniens qui primo floruerant semiseculo, quindecim Cathedrarum Professores recensuit eruditus admodum & doctus Chronologus Grijalva, qui & ipse Mexicanus pridem Doctoribus jure fuerat adscriptus. Noster Collegio suo Regulas dictavit Scholæ juxta ac Religioni accommodatissimas: Bibliothecam, ut diximus, condidit libraria suppellectile, & eruditorum cimelijs, globis, chartis, idque genus alijs ornatam multis, quæ Rectorum & Provinciæ Præsidium aliorumque insignium Magistrorum curâ in dies excrevit, estque inter Mexicanas amplissima. Tantus erat Alphonso adversus litterarum cultores amor, tanta in fovendis promovendisque Facultatibus diligentia.

153 Sed majores longè pro virtutibus, cum ab alijs, tum à se colendis conatus semper posuit, & ferventius studium; quod & si alia deficerent testimonia, palam fieret ex illis Monitis, quæ Discipulis suis, absoluto Curſu, tradebat scripto, servarique ab ipsis non modò in codicibus, sed maximè in moribus discipiebat. Legere est ea penes citatum Grijalva loco inferius à nobis notando, quæ & prudentiam viri, &

eruditionem, & virtutes in primis spirant. Certè, eximio illas prosequutus amore fuit, seque illarum exhibuit exemplar. Humilitati addictus, præclaras, quas diximus, tenuit Dignitates accipere, & quæ in Familia sua auctus fuit, ita uti consuevit, ut omnium se exhiberet ministrum, mortisque proximus testatus fuerit, nunquam se consultò cuique è sibi subditis gravem fuisse sermone aut opere. Paupertatem multò adamavit, pecunijs abhorrens, cæterisque caducis, his tantùm contentus, quibus opus habebat pro austerâ latius vita, è communi penu deproptis, ipsisque, qui unice ei chari erant, libris è Cænobij aut Collegij Bibliothecâ petitis. Jejunabat frequenter, tantæque erat parsimonia, ut vel Provinciam regens pro lautioribus epulis indurata aliquot ova deposceret. Numquam linea indutus fuit veste, sed cum interna, tum etiam exteriori laneâ: pro lecto tabulam laneis etiam stragulis operam habebat, vixque quatuor horas cubabat. Castitatem sic coluit, ut in extremis versatus, dum sacro renes inungeretur oleo, gratias Deo egerit, quod propriam nunquam polluisset tunicam.

154 Ad hæc, eximia in proximis, Indosque præcipuè miserimos, charitate flagrans, eorundem spiritualia temporalia que bona curavit. Quo tempore versabatur Tiripitij, pedes cali-

dissima circum climata prædicandi ac instruendi illos causâ lustrabat. Cum fere omnes eæ ætate Evangelij in America nostra Ministri, homines ceteroquin doctriâ virtuteque illustres, ea essent formidine & opinione, ut à sacra Mensa Indos arcerent, Noster uni inter Franciscanos notissimo P. Jacobo de Dasia ex opposito contendenti admittendos ad Communionem esse, totus adhæsit, felici adèò successu, ut cuncti dein collatitia suffragatione ierint in eandem sententiam, pascereque illos ceperint Eucharisticis dapibus, magno eorum emolumento honoreque Dei. Hunc porò tam diligenter coluit & adamavit, ut suscepturus Viaticum, palam, coram ipso adstantibusque Fratribus candidè testatus fuerit, nunquam se consultò Deum graviter offendisse, ex quo se ei professione mancipaverat religiosâ, id est, ante quinquaginta annos; reliquos autem cum etiam pie admodum traduxisset, sit, quanti semper Deum fecerit. Biennio priusquam obiret, cum in Paulianum se Collegium recepisset, moriturus in eo, quem paraverat sapientissimè, nidulo, molestissimâ presus infirmitate, præclara patientiæ dedit exempla, toleratâ acerba dysuria, quæ cum vehementius urgeret, ipse ad Deigenitricem clamabat: *Maria Mater gratiæ.*

155 Valetudine desperatâ, Medicoque ei dicente, fore ut

xima nocte cum Deo cœnatus esset in Cœlo, reposuit ille: *Et ibi non erit nox.* Accedente autem qui Sanctissimum asserbat Viaticum viro eximio P. Joanne Adriano, Siste, inquit Alphonfus, siste Patet, & oculis in Christum, sub panis latitante sipario, defixis, applicaris ad pectus, postulantis demississime in morem, manibus, sic cum affatus: *Veniat dilectus meus in hortum suum: omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi,* ferventissimo orationem contexit spiritu, testatus, omnia se in JESUM, pro ipsius misericordia, deduxisse; amori fiduciam, cœterasque virtutes annectens, quibus paratus ac Sacramento inefabili prœmunitus, extremo dein Oleo inunctus, Cœnobij Priori, ipsum roganti ut Provinciæ causam suæ apud Deum ageret, id sibi curæ esse respondit. Quas verò pro animæ habuerat negotio, conjici inde est, quod singulis Provinciæ Fratibus litteras reliquit scriptas, postquam ad plures ipse abiret, cuique tradendas, in quibus collata à se eis beneficia memorabat filijs charissimis, idcirco ut præter debita ipsi Missarum suffragia, alijs ultrò succurrerent. Obijt igitur plenus dierum octoginta annos natus, Religionis 30, mense Julio (cujus diem funestissimam reticere Chronographi) anno 1584. Corpus ejus magnificentissimâ, quæ tantum decebat virum, pompâ, sepultum fuit in

Conventu Maximo, confluentibus Archiepiscopo Mexicano unaque Visitatore & Governatore D. D. Petro Moya, Auditoribus Regijs, Canonicorum Capitulo, Civitatis Collegio, Universitatis Concessu plenissimo, Religiosis Familijs omnibus, Nobilium & plebis, confertissimâ multitudine, dolentibus communis jacturam Parentis, ejusdem oculantibus pedes virijs Primarijs, quos inter, Commissarius Franciscanorum colendissimus P. Petrus de Oroz, qui adstantes è Populo alloquens multos, propterea se isthæc facere dixit, quod sciret hominem esse Sanctum, qui Deum pro omnibus præcateretur. Acta ejus conscripsit M. Didacus Bafalenque in Historia Provinciæ Michoacanensis lib. 1. cap. 8. à fol. 35. col. 2. & fusiori sermone M. Joannes de Grijalva in Chronicis Ordinis S. Augustini in Provincijs Novæ Hispaniæ, signatim ætate quarta cap. 11. & sparsim per omnem librum, pro ut gesta Alphonfi multa in varijs temporibus postulant. Plurimi certè sunt qui ejus nec sine laude meminerunt, quorum, ne longiores sumus, dimissis alijs, sat fuerit indicare Illustrissimum nostrum D. Joannem Diaz de Arce in Proximo Evangelico tom. 2. fol. 76. itemque in Quæstionarij expositivi lib. 4. quæst. 97. fol. 219. col. 2. Signuam in Triumpho parthenico fol. 89. col. 1. qui, ut etiam alijs, Venerabilem pleno ore No-

strum

strum appellant: P. Torquemadam in Monarchiâ Indicâ tom. 3. pag. 70. & alibi: D. Nicolaum Antonium in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ pag. 42. D. Antonium de Leon Pinelo in Bibliothecâ Occidentali tom. 2. col. 761. & Plazam in Chronicis Universitatis lib. 1. cap. 4. à n. 21. & alibi. Ægydium Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Mexicanæ pag. 32. Fr. Hieronymum Roman in Chronicis Ordinis Heremitarum S. Augustini Centuria 12. ad annu 1532. fol. 119. col. 1. Ad scripta quod attinet, Noster in publicum emisit *integram Artium Curriculum* varijs partitum tractatibus quorum hi sunt tituli.

*Recognitio Summularum cum textu Petri Hispani, & Aristotelis.* Mexici excudente Joanne Paulo Brissensi 1554. in fol. Rursus Salmantica 1573. & 1593. etiam in folio, quarum editionum Hispanarum meminit Nicolaus Antonius.

*Dialectica resolutio cum textu Aristotelis.* in folio, eisdem typis Mexicanensibus, & Salmanticensibus, dictis mox annis.

*Physica speculatio, cui accedit speculatio super libros de Generatione, de Meteoris, de Anima, & de Cælo.* Mexici eisdem typis 1557. in folio. Et apud Nicolaum citatum, Salmantica 1573. Formis Joannis Baptistæ de Terra Nova in folio.

*Speculum conjugiorum.* Mexici, Formis Joannis Pauli Brissensis

1557. in quarto magno. Salmantica apud Andream à Portonaris 1562. in quarto, & rursus Compluti ex Officina Joannis Graciani 1572. in quarto.

*Appendix ad Speculum conjugiorum juxta diffinita in sacro universali Concilio Tridentino circa Matrimonia clandestina.* Mantuæ Carpentanorum, excudente Petro Cosin 1571. in quarto.

*Speculi simul & Appendixis* stat editio Mediolanensis Typographi Pacifici Ponti 1599. in quarto. De hoc libro sic Nicolaus Antonius scribit: *Doctum valde atque utile opus.* Et nos subdimus, probatum illud esse à gravioribus quibusque Doctoribus de Matrimonij Sacramento tractantibus, qui sæpissime illud allegant, ipse que P. Thomas Sanctius, qui in hac materia Princeps merito habetur, tertio quoque verbo nostrum Magistrum citat.

Scriptis his operibus, quæ Nicolaus Antonius alijque adducunt, superaddere oportet sequentia:

*Constitutiones Religiosissimi Collegij Divi Apostoli Pauli ex Ordine S. Patris nostri Augustini.* Habentur editæ à Grijalva in præcitatæ suis Chronicis à fol. 154. Prodiere Mexici, litteris Joannis Ruiz 1624. in folio.

Idiomate hispano scripsit, *Monita pro Scholaribus Theologis. Epistolam de Privilegijs Regularium,*

Quam affert Fr. Gaspar à S.

Augustino in Expugnatione Insularum Philippinarum. part. 1. à pag. 395. usque ad 409. dicit que transmissam ad Episcopum Manilensem, cujus que memoriam fecerint P. Sicardus in Historia Mexicanensi, & Fr. Joannes Baptista Franciscanus.

Hispanice itidem conscripsit *Historicam rerum Nova Hispania plurimum enarrationem,*

Cujus meminit Grijalva fol. 80. col. 4.

Romano sermone composuit præter edita,

*Commentarium in secundum Magistri sententiarum librum,*

Quem Mss vidimus in quarto magno asservatum in Bibliothecâ Regalis Augustiniani Mexicæ Collegij S. Pauli.

*Relectionem de Libris Canonicis, super illud Pauli 2. ad Titum: Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, &c.*

Hujus invenies memoriam in ultima pag. *Speculi conjugiorum* editionis Complutensis de anno 1572 ubi etiam sequentia memorantur opuscula.

*Apologia pro Religiosis commo- rantibus & evangelizantibus verbum Dei in partibus maris oceani. De qua etiam Pinelus loco citato. Pro eisdem etiam elucidatum Privilegium Leonis X & Pauli III.*

*Clementina Religiosi, de Privilegijs exposita.*

*Compendium omnium indultorum, quæ eisdem Religiosis à Summis Pontificibus sunt concessa. Compendium*

hoc multoties citat Fr. Joannes Baptista, Franciscanus, in doctissimis suis *Monitijs pro Indorum Confessarijs*, esseque præ manibus apud omnes ferè Regulares, quamvis Mss testis est Grijalva fol. 188. col. 3. habetque mentionem citatus Pinelus.

*Commentaria in Epistolas S. Pauli, in Universitate Mexicæ à Cathedrala dictata,*

Quorum mentio est apud eundem Grijalvam ibidem, ipseque Alphonsus in *Speculo conjugiorum* isthæc reminiscitur commentaria,

*Relectio de Dominio infidelium & justo bello,*

Quam Author in margine p. 172. *Speculi Compluti* editi, scilicet 8. conclusionis articuli 32. primæ partis à Lectore videndam monet.

*S. Thoma de Villanova, Archiepiscopi Valentini, Sermones ex hispano in latinum idioma conversi & editi, ut alios inter, testatur M. Fr. Stephanus Garcia, in ejusdem S. Villanovani Vita cap. 35. fol. 85. col. 2. Editionis Mexicæ apud Viduam Bernardi Calderon 1657. in quarto.*

156 FR. ALPHONSUS DE VILLALVA, Natione Hispanus, cujus nescire nos Patriam cogit Scriptorum de ipsa silentium, testantium Pincia Dominicanis Patribus se religiosâ professione junxisse, indeque in Mexicanensem translatum Americam, apud eundem Provinciam S. Vincentij de Chiapa & Goatemala consti-

stitisse. Ab anno 1544. quo primum fuit condita, cum ceteris electissimis utique Religiosis, eod appulsus, ad usque annum 1563. omnium sese exemplar virtutum exhibuit. Theologiam suos jussus docere, paruit, dimissis eo tempore charissimis sibi Indis, quorum ex animo incumbere eruditioni: Superiorum autem justificatione eos repetens, suas in edocendis illis delicias habebat, frequentibus concionibus, colloquijs, & sacrorum administratione. Cœnobijs Prior datus, totique etiam Provinciæ, commissa sibi munera exactissimè implevit. Omnibus ornatus virtutibus adeo fulgebat, ut adstantes Goatemalæ pro agendis Provinciæ Comitij, gravibus quibusque ejusdem hominibus, de Nostro eligendo consulentibus, mira singuli de ipso dicerent: Alius scire se affirmabat, rigidissimum semper fuisse paupertatis, quam violasset numquam, custodem: Alius constare sibi certo dicebat, castitatem à puero hætenus inviolatam coluisse: Tertius, isque Alphonsus de Vaillo, vir notissimus, adjicebat, tanta illum præditum obedientiâ, ut ab ea ne in minimis quidem descivisset; alij demum, ne levissimi notatum aliquando mendacij, similiaque candidè fatebantur, quem subinde Præfultatû omnes judicarent dignissimum. Certè, ea erat humilitate, ut etiam Superior factus, omnibus se comitem præberet &

humanissimum, superbiæ signa quæque vel levissima cavens, ut propterea elogia quadam sua in Adversarijs Provinciæ offendens, expunxerit. Hinc mitis admodum, quamquam multis tentatus, iras nescire videbatur, molesta æquo animo ferens plurima. A propinquorum affectu tam erat distitit, quam ipsi corpore, in Hispania nempe degentes, quorum in Deû curam adjeccerat, cui cordi sunt pauperes.

157 Cœlites multos eximia devotione prosequabatur, atque ipsorum pervigilia jejunio, sæpe in pane & aqua, agere solebat. Erga Sanctissimam Dei Matrem multo ferventius ardebat amore, numquam ejusdem suspiciens Imaginem, quin Angelicâ ipsam salutatione veneraretur. Sacras Indulgentias tanti faciebat, ut nullius occasionem lucrandi elabi sibi pateretur. Ad aras faciendis, aut orationi incumbens, aliàsque multoties lachrymis madidus, Deum pro Ecclesiâ precabatur, Paganorumque & Hæreticorum conversionem avidissimè postulabat. Quamvis totum se divinis mancipasset obsequijs, cuncta verrebatur opera sua, mortique propinquus, timore percitus & formidine, numquam se Deo inferivisse credebat, cujus tamen honorem sedulus procuraverat, animarumque salutem annos supra 18 egregio labore quæsierat, adeo ut alperrimos de Cuchumatlan montes repetito vicibus undevi-

ginitu iunere pedes transfisset, quos familiariter ambulasset proxime morrem obiturus, ni coactus fuisset à Fratribus equum ascendere, quod penè deficientem illum viderent, postquam prolixè quatuor menses infirmitate laboraverat Chiapa. Ubi vero Goatemala accessit, aegritudine patientissime tolerata, ad mortem se proximam quotidianà ferme synaxi sacra se preparabat, egregio in ea suscipiendâ fervore. Recurrente solemnissimo Pentecostes festo, cum morbus & periculum ingravesceret, lacrimum tanta fide & devotione Vianicum sumpsit, ut cernere oculis Christum Dominum videretur. Litanij, cœterisque ab Ecclesia statutis precibus, pro morti proximis à circumstantibus Fratribus recitatis, additisque Paraelyti Spiritus, cuius eo die adventus memoria recurrebat, hymnis, motiturus Noster petijt, ut eos qui in honorem Beatissimæ Virginis dici solent, adungerentur, pluriesque à se repetito versu illo: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et morris horra suscipe*, efflavit animam die 30 Maji circa horam tertiâ anno 1563, cuius salutem & qui aderant & qui noverant hominem, nulli ambigebant. Acta ejus, quæ hæctenus innuimus, memoria mandavit Remesalijus in Historia dictæ Provinciæ pp. 613. 615. & uberius 642. 643. 644. ubi restatur scripsisse

*De varijs de quibus consulebatur juris ecclesiastici et conscientia casibus Responsa* supradicti similibus Tractatus pietatem redolentes variors Qui propterea suis periculis quod illi extraneis facile comamodaverint. *Asservantur etiamnum ad hoc Ad sodalium dubia et Responsa certa et Consilia* notis quæ innotitis. *Quæ in Comitij, ut vocant, Intermedijs apud Cobiati habitis 23 Januarij 1562. expeditur. Ejus nomen & acta atque scripta brevius habes apud Scriptores Ordinis Prædicatorum tom. 2. p. 182. ad annum 1563. idem 158. FR. ALPHONSUS DE ZEPEDA, Natione Mexicanus, Zaccatecanus Patria, Franciscanus fuit Professione in Provinciâ S. Evangelij & Conventu Angelopolitano edita die 14 Februarij anno 1592. Virum fuisse egregijs ornatum virtutibus, orationique multo deditum, Author est Betancurtius in Menologio dictæ Provinciæ ad diem 29. Novembris, quæ cum eruditionem in Theologicis, & alijs multam adungeret, Prædicator insignis evasit, atque tanto id muneris executus est zelo, ut multos ad meliorem frugem traduxerit. V. P. Sebastiano Apparicio, cuius de Beatificatione causâ jam diu in Romana Curia agitur, fuit à factis confessionibus. Podagrâ plurimum laboravit, graviorsque, quos patientissime terebat dolores, studijs levabat, etiam tunc scri-*

scribendis, quos dicemus, libris intentus. His absolutis, vitæ quæque suæ, religiose admodum tractatæ, sanctam in Domino coronidem posuit die 29. Novembris anno 1638. Angelopoli, in eo ipso Cenobio ubi se Deo consecraverat votis, ibidemque sepultus, post multos annos integer est inventus, atque statim a morte pulcherrimus splendentique similis. Epistolam sigillatam, post ejus obitum, à Prælatis resignandam reliquit, multis ipsos rogans, ut vilissimum humuncionem extremo sepeliendum loco curarent, tanto illam conscriptam spiritu, uti audientes tenere lachrymas haud potuerint. Scripsit tomos quatuor, in Bibliotheca Angelopolitani Conventus, ut conjicimus, asservatos, Betancurtio relicente Cenobium, cuius in Libraria illos stare docet, quam pronum est intelligere Angelopolitanam, ubi Author desecit. Sunt autem illi. *De B. M. V. Conceptione. De ejusdem B. V. M. Nominum excellentiâ. Caena de Servatoris nostri Jesu Christi Passione. De Christianâ Religione. et S. P. N. Francisci stigmatibus.* Meminit Authoris & operum Bibliotheca Franciscana tom. 1. pag. 53. ubi verba transcribit Illustrissimi Bosnensis cap. 24. Vitæ V. Fr. Sebastiani de Apparicio, Romæ edita anno 1696. Nostrium à doctrinâ, prudentiâ,

& virtute commendatis, insignemque scriptis, tribus (quarto Bosnensem latente) voluminibus, nuncupantis. *159. D. ALPHONSUS ZORTA, Natione Hispanus, Domicilio Mexicanus, biennio ab erectâ Universitate Mexicanensi, ipsam regente viro admodum Venerabili, Doctore Joanne Gonzalez, Metropolitana Ecclesiæ Canonico, convenientibus cum Pro-Rege Illmo. D. Ludovico de Velasco, Auditoribus Regijs unâ cum Doctoribus & Magistris, hos inter coopatus est. Unus is erat ex ipsis Senatoribus Regijs, atque in Jure Civili Doctor in Hispania creatus, cuius Academiâ soluit Chronographus Plaza. Alia inter, quibus pro munere incubuit negotia, demandatam sibi à Regè scribendi non nihil provinciam suscepit, atque eruditissimum pro Americanis Antiquitatibus dignoscendis opus ornavit, cuius ex hispano in latinum sermionem versus titulus sic habet: *Brevis summariaque enarratio Tapacharum et aliorum in Nova Hispania atque conterminis Provincijs quondam rerum potentium, Legumque et Consuetudinum, quibus id temporis regerantur Indi, Tributorum, Vectigalium, et similibus, quæ populares pendebant Regibus ac Principibus suis.* Habetur Mss. in folio, in Bibliothecâ Collegij Maximi Mexicani S. JESU, inter octo volumina, quæ*

quæ inibi vidimus, ex his quæ clarissimus D. Carolus de Siguenza congescit, notanturque in ejusdem Indice Bibliothecæ hoc nomine: *Historia Mexicana*. Meminerunt Authoris Plaza in *Chronicis Universitatis* lib. 1. cap. 15. n. 148. Betancurtius in *Catalogo Authorum, cum Editorum, tum Mss, quem præfixit Theatro Mexicano, in quorum syllabo Nostri opus inferuit, quod authorographum sibi commodaverat Siguenza*. Item Eques Laurentius Boturini in *Museo Historico Indico suo* § X. p. 21.

160 D. ALVARUS GOMEZ DE ABAUNZA, Mexicanus saltem Domicilio, cujus & Natio nos latet & Patria, apud Regium Goatemalensem Senatuum Auditor, post inter Mexicanos adscriptus Togatos, criminum Vindex: Egregium valde opus, quod Mexici inchoaverant L. D. Antonius Maldonatus, & D. Vascus de Puga, Regij itidem administri, Collectionis Legum Indicarum, commodiori securus est methodo, scribens hispano sermone *Repertorium Regiarum Scedularum*,

Duobus tomis magnis, qui hodieque extant Mss, testibus Antonio de Leon & ejus Additoribus in Bibliothecâ Occidentali tom. 2. col. 821.

161 M. F. ALVARUS DE GRIJALVA, Natione Mexicanus, Patria Antequerenfis, seu Goaxacensis, à nobilibus & pijs parentibus

christianè & liberaliter educatus, Grammaticæque satis peritus, ac prompto insignique donatus ingenio, Ordini Prædicatorum in patrio Conventu nomen dedit, nuncupatisque voris, majoribus traditus studijs, tum ibi, tum in Angelopolitano celebri ejusdem Ordinis S. Ludovici Collegio, exitimos quidem fecit progressus. Hinc Lector Philosophiæ in Cœnobio Goaxacensi, pro egregijs litteris & nomine, destinatus, initiatusque Sacerdotio, munus cum obijisset strenuè, Theologicis præpositus Cathedris, tantâ eas rexit omnium approbatione, ut exteri doctissimi viri, qui publicis ejus concertationibus scholasticis aderant, in multo illum haberent pretio, & Provinciæ Patres, absolutis pro suo jure & usu curriculum, ad usque apicem Magisterij ipsum evexerint.

162 Nec in palestrâ duntaxat Scholæ versatus, sed etiam in sacro suggestu, graviter & doctè ad populum dicere solebat hispano sermone, & coram disertis auditoribus ac conspicuis. Ut verò miseris etiam Indis procul degentibus prodesse valeret, exemplum observandum sibi proposuit Magistrorum Provinciæ suæ, qui eo donati gradu neutiquam quiescere, sed novis se mancipare solent laboribus; factusque pro capefendo Zaapotecanorum idioma discipulus, brevi illud calluit, gentemque instruere cepit optimis concionibus, & ad ipsarum

captum

captum accommodatis, perspicuitate, zelo, & reliquis oratoris christiani partibus, quas etiam in omnibus expleverat à se habitis sermonibus. Humanissimus etiam ijs qui ipsum offendifsent, faciliè irrogatas condonabat injurias, patiebaturque minimè, ut coram ipso quis detraheret proximo. Prior datus Primario Conventui futuris destinato comitijs Provinciæ, quod obierat Provincialis Fr. Petrus de la Cueva, ipsi Provinciæ Vicarius præfuit ab extremis Augusti anno 1614. ad usq̄ sequentis Majum, egregiâ humanitate unâ cum Religiosæ disciplinæ observantiâ. Secundum Superior ejusdem Cœnobij haud secus se gessit exemplo præiens Fratribus; quo absoluto munere, annis licet gravatus, ministrare perrexit Indis, quo usque febris correptus in Conventum deferri Antequeræ curavit, ut extremum stipatum Fratribus diem obiret: Priusquam verò ædes ascenderet, Templum ingressus, ante Aram Sanctissimæ Deigenitricis sub appellatione Rosarij demissimè provolutus, multis illam lachrymis obestatus est, ut pro benignitate pietissimæ Matris adesse sibi in agone vellet, qui propterea se ejus clientelæ dederat, suum que ex animo Rosarium frequentaverat. In cellam delatus, post habitis medicinis, quamvis affuetus animam sacrâ confessione mundare, generalem instituit exomologesim, tantâ, quidem la-

Ec

chrymarum copiâ, humilitatè, amore, cæterisque christianis virtutibus, ut fieret palam, mox emissas ad Deigenitricem preces irritas fuisse minimè. Longè tamen ferventius Christum in Eucharistia pro Viatico excepit, Olcoque inunctus extremo, animam Deo reddidit. Scripsit præter *Philosophicos Tractatus & Theologicos*, quos retinet Historiographus, tradidit autem suis Noster Discipulis;

De SS. *Virginis Mariæ Rosario, atque ejusdem miraculis*.

Ut Author est, qui ejus Vitam scripsit M. Burgoa in *Palestrâ Historicâ Provinciæ Ordinis Prædicatorum de Goaxaca* tom. 1. cap. 69. pp. 231. 232. 233. 163 FR. ALVARUS DE PAZ, Natione Mexicanus, Goatemalæ ortus est nobilissimis genitoribus Petro de Paz & Quñones, & Lucia de la Cueva, à quibus optime in tenera ætate institutus, atque studijs applicatus latinæ, terciodecimo anno tam erat in illa provectus quam qui maximè. Statim evocatus à Deo in Franciscanorum Ordinem, in cuius patriâ SS. Nominis JESU Provinciâ multi ex sua stirpe clari viri floruerant, Superiores adijt, ut voti compos fieret, qui tamen & si bono illum animo esse jufferunt, videntes puerilem fortasse fervorem, quodque præfinitos pro suscipiendo habitu religioso non dum annos attingeret, tum quidem temporis repulerunt.

Ille

Ille. contra insultere postularis de-  
crevit, atque è domo aufugiens  
paterna, in Conventum se recep-  
it Goatemalensem, & perinde  
ac si vestem indutus esset Fran-  
ciscanorum, in omnibus ipsos,  
sive in choro, sive alibi, quam-  
tumvis molestis & arduis exerci-  
tationibus, die comitabatur & noc-  
te, super terram in cavadio cu-  
bans ut somnum carperet. His  
commoti Prælati, tyronibus illum,  
pro ut optaverat, ad junxere, quos  
inter biennium ferme exitio con-  
nata peregit, quousque quinto  
decimo anno completo, destina-  
tum ad inchoandam probatio-  
nem tempus accessit, quo etiam  
alacriter acto, & omnium exem-  
plo, solenni se Deo tradidit pro-  
fessione. Philosophiam dein &  
Theologiam, quo erat ingenio,  
& ad laborem comparatus animo,  
à Magistris accepit, tantis qui-  
dem progressibus, ut eisdem do-  
cendis Facultatibus judicatus fue-  
rit aptissimus. Sacris initiatus,  
non dum tamen Sacerdos, Con-  
cionator electus, non sine plau-  
su à Goatemalensibus est auditus;  
postquam verò ad Aras faciebat,  
procurandæque Indorum saluti  
maturus erat, hoc sibi negotium  
impigrè tractandum assumpsit,  
quod ut faulste perageret & uber-  
rimè, quatuor gentis idiomata  
( scilicet *Cakchiquel*, *Quiche*, *Zu-  
tugil*, & *Mexicanum* ) ita didicit,  
ut in eorum singulis non doctus  
modo fuerit, sed eximius, nemi-  
nique secundus, & in prima qui-

dem quam diximus linguâ, Ma-  
gisterio functus, multos eam do-  
cuit Sodales, librumque, mox lau-  
dandum, conscripsit. His instru-  
ctus dotibus, peritiâque insigni in  
omni Theologiâ, sive quæ ad pa-  
lestram attinet, sive quæ mores  
concernit, sive quæ ad ascetas  
spectat, sive quæ sacras interpre-  
tatur litteras, instruendis Popu-  
lis sese dedit multis in locis, pro  
ut Superiorum jussu fuit destina-  
tus. Frequentibus concionibus,  
confessionum auditione, ceteris  
que muncribus sacris intentus,  
pro Dei amplificandâ gloriâ, & sa-  
lute animarum promovendâ, be-  
nè longam vitam traduxit, obiit  
quæ septuagenarius anno 1610.  
in Conventu de Monofthenango,  
ubi corpus ejus, post multa tem-  
pora, construendi Sacelli majoris  
causâ, effosum, integrum fuit  
reperitum. Scripsit idiomate *Cak-  
chiquelo* insignem pro Indis in via  
spiritus deducendis librum, cui  
titulum fecit *Scala Cæli*.  
In quo mysticam sic tractare  
Theologiam affirmat Chronogra-  
phus statim citandus, ut opus, &  
praxim Nostri in cælestibus re-  
bus spiret, & doctrinam, quæ erat  
imbutus, egregiam. Habetur  
etiamnum in pretio & præ mani-  
bus à Socijs & alijs. Quæ reuli-  
mus acta dedit typis excussa Fr.  
Franciscus Vazquez in Chronicis  
dictæ Provinciæ de Goatemala  
tom. 1. lib. 3. cap. 48. pp. 614.  
615. 616.

164 FR. ALVAREZ DE SO-  
RIA BRIVIESCA, Mexicanus Do-  
milio, qua Natione fuerit &  
Patria nescimus; Regalis Ordinis  
Beatissimæ Virginis MARIÆ de  
Mercede alumnus, edidit idio-  
mate hispano  
*Concionem de S. Petro Nolasco*.  
Mexici, typis Viduæ Bernardi Cal-  
deron 1661. in quarto.

165. D. AMBROSIVS DE LI-  
MA, ET ESCALADA, Natione Me-  
xicanus & Patria, inter egregios  
Mexicæ Academiæ cultores Me-  
dicinæ multum cfulsit, non mo-  
dò popularibus & nobilibus cha-  
rus, sed verò etiam Principibus  
viris, qui eum sibi à salute esse  
voluere. Quod autem annis su-  
prioris seculi 91 & 92. terræ  
ceteroquin teracissimæ Novæ His-  
paniæ sterilitate laborarent, pro-  
egentium præcipuè sublevandâ  
miseriâ cogitantibus Urbium Re-  
ctoribus in posterumque timen-  
tibus, exagitarum jam pridem  
dubium anno 1677. de frumen-  
to quodam quod *Albulum* dicunt,  
rursus exortum fuit: cumque ad-  
versus illud Protomedici eo tem-  
pore Mexicani sententiam tulif-  
sent, per inde quasi valetudini  
insensissimum esset habendum,  
ut sub inde publicis cautum fuis-  
set Decretis, ne usui adhibere-  
tur humano, imò ne quidem  
terræ commendaretur, Nostro  
contra sentiente, è re sua atque  
Reipublicæ bono credidit, cau-  
sam prohibiti agere & extorris  
frumenti, palamque facere haud

noxium illud esse, imò verò uti-  
lissimum, proptereaque seminari  
oportere, eoque citra periculum  
& formidinem vesci homines  
posse, tunc in primis, cum no-  
bilitatis copia non suppetebat. Er  
porrò obtinuit, ejus deferrente  
opinionem Excmo. Comite de Gal-  
ve, D. Gaspare Sandovalio, qui ad  
clavum Pro-Rex aderat Regni  
Mexici, cuique nuncupatum vol-  
uit Ambrosius Opusculum ea de  
re antehac à se compositum his-  
pano sermone, scilicet

*Spicilegium de natura commodis  
que frumenti, quod vulgo dicunt Al-  
bulum, unaque ad fundamenta con-  
tra ipsum à Proto-Medicis allegata  
Responsum.*

166. FR. AMBROSIVS MAR-  
TIN, Domicilio Mexicanus, sin-  
minus Natione & Patria, quas  
subrice is qui ejus nobis co-  
piam fecit Fr. Alphonsus Franco  
in Historia Provinciæ S. Jacobi  
Mexicæ Ordinis Prædicatorum.  
Ex hac in Familiam ejusdem In-  
stituti apud Insulas Philippinas à  
SS. Rosario dictam, commigravit,  
atque ut gentiliū in christianis  
institutionibus provideret utilita-  
ti, eorum qui Cagayani audiunt,  
idioma penitissimè callere consti-  
tuit secum atque rimari, felici  
adco successu, ut libros, quos sub-